

**G**allus hostilianus et galli filius volusianus mox imperatores creati sunt: quorum temporibus in ultionem christiana in nois tanta pestis exorta est: ut paucis domibus ne dum civitates et puincie extiterint: que non tantam calamitatem senserint. Nihilque omnino clarum gesserunt. Sola hec pestilentia morbis atque egritudinibus: non eorum principatus fuit. Verum gallus et volusianus dum in emilianum res novas agitantem bellum civile molunt inter amne necant. Emilianus autem obscurissime natus: obscurus impavit cum maurus fuerat. et tercio mense extinctus est. hec autem pestis ac calamitas maxime apud egyptum et alexandriam sequebatur: de qua cypriani martyris extat liber. hi duo non dum completo imperii sui biennio ut premissus est interierunt.

**V**alerianus imperium suscipiens cum galieno eius filio impavit annis. i. v. Valerianus enim in rhetia et norico se agens ab exercitu. Galienus rome a senatu imperatores eligunt. horum imperium perniciosum romano nois et pene excruciale fuit: principum ignavia et in christianos seculicia. Nam germani raunenam usque puenere ferro et flamma omnia vastantes. Valerianus autem in mesopotamia bellum gerens a sapore persarum regem captus in virtute turpiter vixit: et apud parthos ignobili servitute persequitur: eo enim ut scabello persarum rex equum conscendit utebatur: pedes eius ceruicibus imponens. et id merito cum statim ubi impius arripuit octavam persecutionem in christianos movit. Territus autem claro dei iudicio galienus pacem ecclesie tribuit. Cum autem adolescens factus esset augustus imperium primo feliciter mox commode ad ultimam perniciosam gessit. erat enim in galieno subite virtutis audacia. Barbari tamen omnes in fines romanos eruperunt. Et tyranni quidam perniciosi exorti sunt: qui quod domus relictum erat ab externo hoste pessundaret. Galienus vero cum republica deseruisset ac mediolanum libidinibus operam daret missis percussoribus interceptus est imperii anno nono. Et ut quidam ferunt auxilio cecropii dalmatarum ducis ubi et frater eius valerianus quem multi augustum multi cesarem dicunt occidit. Alamanni enim exhausti galis suo tempore in italiam penetraverunt. Bacia que a trajano ultra danubium fuerat adiecta amissa est. Germani usque ad hispanias penetraverunt. Cum iam desperatis rebus et delecto imperio romane posthumus in gallia obscurissime natus purpuram sumpsit: et per tyrannidem annis. x. impavit: usus ingenti moderatione: pulsus hostibus puincia in pristinam formam redegit: deinde militari tumultu apud magucia cum interfectus. Victorinus postea galliarum accepit imperium vir strenuissimus sed dum nimie libidinis esset et aliena mirimonia corruperet. agrippine occidit sui imperii anno secundo. Huic successit tetricus senator: qui aquitaniam honore presidis administrans absens a militibus imperator electus est. dum hec in gallia agerent per odentum perse victi defensa syria mesopotamia usque ad thesiphontem recepta est.

**C**laudius huiusmodi nois secundus romanorum imperator a militibus electus: a senatu appellatus augustus: imperium suscepit: hic gothos illiricum mecedoniisque vastantes bello adortus incredibili clade superavit. hanc obrem in curia aurea clipeus: in capitolio aurea statua eidem a senatu decreta est. parcus vir atque modestus et iusti tenax atque reipublice gerende idoneus. adversus ducenta milia alamanorum haud percussus a lacu benaco in silva que lugana dicitur dimicavit: tantam multitudinem fudit ut egre pars dimidia superfuerit. qui tamen morbo correptus apud symmum moritur. non dum expleto biennio in imperio. Quo mortuo statim quintilius frater ab exercitu imperator eligitur. vir quidem vix moderationis et qui solus fratri preferri posset. Is quoque decimosextimo imperii die interficitur.

**A**urelianus anno ab urbe condita millesimo ac vigesimo septimo imperium adeptus. Bacia ripensis oriundus vir militari disciplina clarus: in bello potens: animi tamen modicus: et ad crudelitatem propensioris. Gothos apud danubium gravi proelio superavit. Romanam orbem triennio ab inuasoribus recepit. hic primus apud romanos diadema capiti innexuit: gemis quoque et aurata veste (quod vere romanis incognitum moribus) usus est. hic muris validioribus et laxioribus urbem sepsit. Templum appollini edificavit in asia traiciens senobiam que occiso odenacho marito orientis tenebat imperium haud longe ab antiochia vicit: camque in triumphum una cum tetrico ducit. ad gallias profectus vindelicis obsidione barbarica liberavit. deinde ad illiricum rediit. Sed cum iter faceret apud senophorum mansionem que est inter heracliam et bizantium: malicia notarii sui interceptus est: qui nonam persecutionem movit in christianos: populus autem romanus amavit: senatus timuit. Imperavit annos quinque menses sex. Triumphum diuis gloriosum flavius vopiscus describit.

Volusianus filius



Galienus



## Linea Imperatorum

Gallus hostilianus



Valerianus



Claudius Quintilius frater



Aurelianus

